



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Autoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 25. Quibus mulieribus cohabitare Clericos jura prohibeant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

c. interdixit. dist. 32. Permittitur quoque. *can. cum omnibus* illis cohabitare mulieribus, quæ sunt de personarum istarum languine junctarum familia, puta, earum ancillis; pedissequis, uti etiam uxoribus filiorum, quos illi acceperunt parentibus jam ordinatis, pro ut *Gl. in cit. c. cum omnibus. v. idoneas. Pirh. h. t. num. 1. Reiffenst. num. 8.* Quin & præter personas nominatim expressas in SS. Canonibus, quibuscumque habitare permissum clericis, veniunt & aliæ externæ, de quibus prudens suspicio turpis commercii haberi nequit juxta *cit. c. cum omnibus.* Dum ibi dicitur: *etiam eas personas, quæ fugiunt suspiciones:* V. g. quia proverte ætatis, probata virtutis & pietatis. De cætero, quod dictum de mulieribus sanguine conjunctis, intelligendum etiam de iis, etsi juvenculæ sint; cum ex hoc solo dici non debeant suspectæ, sicut ex eo ipso personæ extraneæ suspectæ esse solent. *Pirh. h. t. num. 3.* Extendendum tamen non est ad affines, etiam in primo & secundo gradu affinitatis; cum SS. Canones excipientes à prohibita per illos cohabitatione sanguine junctas, non excipient affines, inter quas, utpote non nisi mediaticibus consanguineis conjunctas, non est ista arcta & immediata conjunctio, quæ est inter consanguineos, removens ab iis suspensionem commercii carnalis. *Pirh. num. 4.* Qui tamen etiam excipientes cenlet novercam, mirum, uxorem fratris defuncti, quin & affinem in secundo gradu, dum ea clericis, vel is illi reverentiam debet. V. g. uxori patris sui defuncti. Denique, quod dictum de sacerdotibus & clericis aliis, idem dicendum de Episcopis, nimirum quod cohabitare possint mulieribus, sanguine junctis in primo & secundo gradu earumque ancillis & pedissequis. *Abb. in c. 1. h. t. Pirh. num. 5.* contra *Gl. in c. legitur. dist. 81. v. mea.* dicentem, Episcopum ne quidem matrem aut sororem secum habere posse juxta *Auth. Episcopo. C. de Episc. & cler.* quod ipsum, nimirum, ut Episcopus similisve Prælati sæcularis illas extra palatium in alia domo separata habeat & alar, *Pirh. & alii* censent honestius magisque consultum, idque vel maxime propter sacerdotes alios cum Episcopo commorantes,

Quæst. 25. Quibus mulieribus cohabitare jura prohibeant clericis?

R Esp. De jure communi prohibetur clericis cohabitare mulieribus quibuscumque, de quibus esse potest rationabilis suspicio & periculum criminis. Idque, etsi aliàs à S. S. Canonibus permissum illis cohabitare, sintque personæ conjunctissimæ, matres & sorores, multoque magis earum ancillis & sociis, ita statuitur. *c. 1. h. t. Barbol. ibid. num. 3. Pirh. h. t. num. 3.* quod *cap. proinde* non contrariatur. *cit. c. cum omnibus;* Cum hoc loquatur de feminis nullatenus suspectis, qualiter ordinariè & plerumque non sunt personæ illæ sanguine conjunctissimæ; illud verò de personis quibuscumque, dum sunt suspectæ, quales quandoque etiam esse possunt personæ illæ conjunctissimæ; cum, ut dicitur. *cit. c. 1. infligante Diabolo & in iis scelus perpetratum reperitur.* uti & illud re ipsa, antequam hic canon condederetur, perpetratum occasio fuit condendi illum, & exprimendi etiam matrem, sororem, amitam. *Barbol. Pirh. LL. cit.* Porrò clericum cohabitanti-

do mulieri de qua esse posset rationabilis suspicio, etiam si sit consanguinea, peccare mortaliter, censet *Barbol. in c. à nobis. h. t. num. 2.* cum *Nav. in man. c. 25. n. 109. & Comit. resp. mor. l. 1. q. 92. à princ.* quos citat. Cujus ratio esse potest, quod eo ipso, quod talis clericus præbeat occasionem suspicandi rationabiliter de se ipsum crimen, præbeat grave scandalum. Unde, ut ait *Barbol.* non sufficit illud è trivio: sufficit mihi mea conscientia, non curo, quod de me loquantur homines &c. si homines prudentes, præbita sibi ad hoc sufficiente causâ sic loquantur; cum juxta *Apost. 2. ad Cor. 8. v. 21. oporteat provide bona, non tantum coram Deo, sed & coram hominibus, ne nomen Domini blasphemetur.*

Quæst. 26. Quænam, etiam independenter à cohabitatione, prohibeantur clericis conversatio cum mulieribus?

R Esp. Non tantum prohibentur clerici à domibus suis suspectas remove mulieres, etiam aliunde accedentes; sed & eas in domibus propriis earum frequentare, aut etiam ubi vis locorum familiariter cum iis conversari. *Can. clericus solus. c. in omnibus. c. clerici vel continentes. dist. 81.* Quin & hæc ipsa intelligenda de mulieribus aliàs non suspectis; dum vel ipsa familiarior cum iis conversatio, crebriorque ad eas citra necessitatem accessus, & vel maxime productior solius cum sola in tenebris aut locis occultis confabulatio istiusmodi carnalis affectus & commercii suspensionem rationabilem & vehementem generet. Sic quoque prohibita est clericis conversatio cum muliere suspecta, quæ sit per nuncium & literas secretas, comprehenditurque illis verbis *c. si quisquam. h. t. & aliquo modo conversari. Barbol. ibid. num. 3.* remittens ad *Mench. de præsump. l. 5. præsump. 41. num. 10. & Carol. de Grass. de effectib. cler. eff. 26. num. 5.* Extenditur etiam hæc prohibitio ad nimiam familiaritatem domesticarum juxta *can. quorundam. dist. 34.* Estque ratio hujus prohibitionis, quod ex tali clericorum cum feminis conversatione scandalizetur populus, vilescat status clericalis dignitas, vituperetur eorum ministerium contra monitum *Apostoli 2. ad Cor. 6. & juxta illud S. Bernardi sum. 2. de resurr. dom. prope finem: quotidianis experimentis didicimus, cujus vita despicitur, restat, ut prædicatio contemnatur &c.* ac insuper lapsus carnalis periculum. De vitanda hac clericorum cura mulieribus conversatione eleganter & acriter pro more suo scribens videatur *D. Hieronymus*, pro ut refertur, *in can. hospitium. dist. 81. in Epist. ad Nepotian. & Epist. 11. ad Ageruchiam. c. 5. in Epist. ad Rustic. monach. c. 2. & Epist. 22. ad Eustoch. c. 2.* quos textus recitat *Barbol. ad cit. c. à nobis. num. 3.*

Quæst. 27. Quæ sint pænæ clericorum cohabitantium cum mulieribus suspectis, aut aliàs familiaribus cum illis conversantium?

R Esp. Fuerunt illæ jure veteri permultæ, non tamen in iis infligendis semper idem ordo servatus. Sic